

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

Meier, Gebhard Theodor

Helmstadii, 1696

§. XLI.

urn:nbn:de:bsz:31-105465

reditate obtinebunt regnum aliquod, illud scilicet, quod vocamus regnum gloriae. Apparet etiam illud evidenter inde, quod Salvator in adducto capite illis, qui ad dextram ipsius collocati sunt, dicturus est: *Venite benedicti Patris mei, & hereditate posidete regnum illud, quod ab origine mundi vobis est paratum,* quod ipsum regnum versus ultimo dicitur vita aeterna. Ubi simul notandum est, quod eodem tempore adendum sit hoc regnum, quo omnes impii precipitabuntur in ipsam gehennam, cum omnia que de hoc iudicio dicuntur uno & continuo actu peragenda esse manifestum sit. Non igitur dici poterit, quod regnum hoc M. annis illam impiorum damnationem sit antegressum.

XL. Assertio vigesima prima: Non datur autem regnum Christi, quod tandem ad finem possit perduci, ut ipse Christus in eo regnare definat, aut illud alii tradat. Probatur ex manifesto Angeli testimonio *Luc. I. 33.* Erit (Filius Mariæ) Rex super dominum Jacob (Ecclesiam vid. *Rom. ix. 6. 7. 8.*) IN AETERNUM, & regni ipsius non erit finis. Quamvis ergo, in consummatione seculi, regnum gratiae transiturum sit in regnum gloriae; idem tamen Christus Rex noster in utroque est & manebit, ita ut ipsum ejus regnum illo tempore non definat; sed potius fiat illustrius ac supremum suum assequatur gradum.

XLL Assertio vigesima secunda: Nec etiam in terris regnum quod pii accipient, expectandum est, sed in cœlo. Probatur ex illo, quod regnum hoc pii datur in præmium ut patet ex *Matth. xxv. 31.* seqq. Præmia autem pro persecutionibus & afflictionibus suis non in terra sed in cœlo danda promittit Salvator

Matth.

Matth. V.12. (ex quo loco idem etiam in Programmate antichiliastico Summe Venerabilis Domini Præceptoris demonstratum est) dicens: *Gaudete & exultate* (vos qui persecutio[n]es & contumelias propter me patimini) *quoniam magna erit merces vestra in COELIS*, ad cuius argumenti vim infringendam ne iota quidem afferre potuit D. Animadvertisens. Addo etiam alterum ex *1 Pet. I. 3.4.* *Deus nos regeneravit ad hereditatem incorruptibilem, quæ nobis reservatur in COELO.*

XLII. Assertio vigesima tertia: Quin statim post reditum suum e cœlo Christus assumet fideles suos in domum Patris sui, ubi jam diu locus ipsis est paratus. Domum Patris per ipsam cœlestem beatitudinem (non vero per paradisum chiliaesticum) explicat ipse D. Animadvertisens §.8. ubi ita scribit: *Absoluto die nuptiarum* (tempore regni chiliaстici) *Agnus virginum suum gregem tanquam sponsam suam in domum Patris inferet*, & ita aperte domum Patris post tempora chiliastica collocat; Quo præmisso provoco ad verba Christi *Job. XIV.2.* ubi discipulis suis mansiones jam paratas esse in domo Patris sui, dicit. Erunt ergo mansiones hæ idem cum possessione regni, de quo *Matth. XXV.31.* est sermo, cum illud similiter piis ab origine mundi sis paratum, ut adeo regnum hoc necessario poni debeat in domo Patris seu cœlo, quod etiam probatum est in thesi præcedente. Quod autem Christus statim pios post adventum eo deducturus sit patet ex versu 3. *Redibo, dicit' ibi, & vos ad me assumam, ut sitis ubi ego sum.* Quem vero alium in locum, quam in mansiones in domo Patris de quibus ante egerat? Hoc siquidem connexio textus necessario requirit. Atque hoc ipsum argumentum, in Programmate dicto adducum,